


EPISTULA LEONINA

CCXXXIX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXVIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM UNDEQUADRAGESIMAM (239) !

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA	02-04
OMNES TRAHAM AD ME IPSUM	05
CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS	06-08
CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM	09
CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA	10-11
FABELLA GRIMMIANA: Iohannes meus erinaceus	12-19
MYTHI GRAECORUM: Quomodo Lapithae pugnaverint cum Centauris	20-25
EPISTULAE	26-28
LIBRI LEONIS LATINI	29-32

PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Care Lector,

gaudenter Te invito, ut fruaris lectione Epistulae nostrae novissimae. Hac quoque in Leoninâ praebemus Tibi delectamenta vehementer varia: Ergo lege symbolas Leonis Latini: miraberis!

Hodie Christiani celebrant Ascensionem Domini; cum verisimile sit non omnes Lectores scire, quid hoc sit et quô loco bibliae sacrae hoc referatur, operae pretium mihi videor facere locum testem hîc afferre:

VULGATA, ACTUS APOSTOLORUM 1, 1-11

1 Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Iesus facere et docere, 2 usque in diem, qua, cum praecepisset apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est; 3 quibus et praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apprensus eis et loquens ea, quae sunt de regno Dei. 4 Et convalescens praecepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris: “Quam audistis a me, 5 quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto non post multos hos dies”. 6 Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes: “Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israeli?”. 7 Dixit autem eis: “Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate, 8 sed accipietis virtutem, superveniente Sancto Spiritu in vos, et eritis mihi testes et in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae”. 9 Et cum haec dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. 10 Cumque intuerentur in caelum, eunte illo, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, 11 qui et dixerunt: “Viri Galilaei, quid statis aspicientes in

caelum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum”.

*En nunc scis, quid in bibliâ referatur de Ascensione Domini. Licet multi nostrum a fide Christianâ plus minusque remoti sint, oportet ne obliviscamini ritûs et mores Christianos, qui sunt certê non solae et unicae, sed quaedam **radices occidentalis cultûs civilis humanique** valentissimae. Leo Latinus magni aestimat ideas **Desiderii Erasmi Roterodami**, qui linguas litterasque classicas quam subtilissimê colens atque tractans studuit philosophiam graeco-romanam feliciter coniungere cum principiis fidei Christianae moralibus.*



*Sed Leo Latinus nequaquam tantos sibi spiritûs, tantam sibi arrogantiam sumit, ut alicui homini praescribat, quibusnam praeceptis moralibus vitam suam instituat, utrum credat Deum esse necne, quae religio aut qualis philosophia eidem videatur esse unica et vera. Neque ullo modo Leo Latinus lectoribus suis praescribit, quid sentiant de vitâ humanâ et de societate deque re publicâ. **In his commentariis ne fiat censura!** Leo maximê aestimat **libertatem sententiae dicendae**. Si quis aliter sentit ac Leo – dicat sententiam suam, îdem liceat liberê loquatur in Foro Latinitatis Vivae. **Audiatur et altera pars!** Nos non habemus **Ministerium Veritatis; nemini est ius veritatem unicam sibi arrogandi**. Itaque Leo Latinus vehementer dolet, quod interdum accipit litteras aculeatas, in quibus quidam honorum detrectator more dictatoris sibi arrogat imperare, quid liceat scribere et quid non. Qui agit more Thersitae et Ephialtae; bene, sequatur exempla. Thersites est alter: veni versute Ulixes, exsequere mandatum tuum Homericum! Similis est Ephialtae: ergo exspectet Athenadem! An potius istum delatorem comparemus cum*


*illo, qui magistrum suum prodidit mercede triginta argenteorum? Bene, sequatur exemplum famosissimum: faciat ex se litteram longam! Utinam absint tales delatores pravissimi a communitate eorum, qui studia humaniora amplectuntur. Talis homunculus licet sciat aliquatenus nomina Latina declinare et verba temporalia coniugare, sed nullo modo umquam intellexit, quonam fine nos studeamus **Bonis Litteris**, nullo modo iste umquam imbutus est **spiritu atque ideis veri humanismi**.*

At haec sufficiant de Harpyis molestissimis; pulchro hōc die Ascensionis vernali non permittimus nobis cenam Latinitatis sapidissimam concacari a talibus avibus turpissimis, ne famelici remaneamus tamquam ille rex Phineus miserrimus.

*Haec Epistula Leonina 239 est mirê mythica et fabulosa; Leo tibi praebet legendum **mythum proelii inter Lapithas et Centauros facti** necnon lepidissimam illam **Fabellam Grimmianam**, quae inscribitur **Iohannes Meus Erinaceus**, i.e. originaliter »Hans mein Igel«.*

Tolle, lege, mirare: utinam tibi sapiat !

Medullitus Te salutat
Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Feriâ quintâ, 13. m. Maii a.2021
Ascensione Domini



OMNES TRAHAM AD ME IPSUM

Ecce Christus in caelum ascendens. Imago a.1597 confecta, quae invenitur in ecclesia cathedrali Ribensi. *Ribe* est oppidum Daniae omnium antiquissimum.

CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS

Zum 13. Mai, dem **Fest Christi Himmelfahrt**:



Egbert-Codex (um 980), Trier

2021* ho**DI**e **Ch**r**IS**t**V**s pro nob**IS** pass**V**s a**D** **Cae**L**ES**t**IA** as**Cen****DI**t, a**LL**e**L****V****IA**! –
Heute steigt Christus nach seinem Leiden für uns zum Himmel empor –
Halleluja! -

2021* **IesV ChrIsto regaLIIs gLorIa, qVI In LVCE VerItatIs VICtor fortIs In CaeLVM sVbIstI, tIBI se fLeCtVnt IBi genVa CeLestIa, terrestriIa atqVe InfernaLIa.** – Jesus Christus sei königliche Herrlichkeit; du stiegst als starker Sieger im Lichte der Wahrheit zum Himmel hinauf; dir beugen sich dort die Knie im Himmel, auf der Erde und in der Unterwelt.

Zum 13. Mai, **Jahrestag der ersten Erscheinung Mariens in Fatima im Jahre 1917:**

2021* **aVe, apparItIo In pIetate VIrgInIs MarIae FatIMae IrIae!** – Sei begrüßt, Erscheinung der gütigen Jungfrau Maria in Fatimas Iria!

2021* **aVe, aVe, MarIa, aVe, MarIa, ora pro nobIs, ora pro nobIs, ora pro nobIs, ora pro nobIs.** - Ave, ave, Maria, ave, Maria, bitte für uns, bitte für uns, bitte für uns, bitte für uns! - nach dem litaneiartigen Prozessionslied „Ave, ave ...“ von Fatima

2021* **aVe, MarIa, VIrgo pVrIssIMa, ora pro nobIs totIs.** - Gegrüßet seist Du, Maria, reinste Magd, bitte für uns.

2021* **aVe, VIrgo MarIa, aparVIsTI nobIs FatIMae!** – Sei begrüßt, Jungfrau Maria, du bist uns in Fatima erschienen.

2021* **VIrgo MarIa pIa, In terra IrIae FatIMae apparVIsTI, ora pro totIs nobIs.** – Gütige Jungfrau Maria, du bist auf dem Gebiet der Iria von Fatima erschienen, bitte für uns alle. - Variante: **MarIa In terrIs IrIae FatIMae trIbVs pIIs InfantIbVs apparet.** – Maria erscheint auf dem Gebiet der Iria von Fatima drei frommen Kindern. - oder: **MarIa In terrIs IrIae FatIMae InfantIbVs pIIs apparVI.** - Maria ist auf dem Gebiet der Iria von Fatima frommen Kindern erschienen.

Zum 7. + 8./9. Mai, zum **Jahrestag der Unterzeichnung der bedingungslosen Kapitulation und Ende des 2. Weltkrieges in Europa:**

2021* ante **LXXVI** annos paCtIo sIne ConDICIOnIbVs seCVnDI beLLI VnIVersaLIIs LetaLIIs horrIferI atqVe sCeLerati bIs subsCrIpta est. – Vor 76 Jahren ist die bedingungslose Kapitulation des todbringenden, schrecklichen und verbrecherischen Zweiten Weltkrieges zweimal unterzeichnet worden. – Generaloberst Alfred Jodl unterzeichnete am 7. Mai um 02:41 in einem Schulhaus bei Reims, wo das Hauptquartier der Alliierten, die von Dwight D. Eisenhower geführt wurden, untergebracht war, die Urkunde der bedingungslosen Kapitulation, Feldmarschall Wilhelm Keitel unterzeichnete auf

Verlangen Stalins noch einmal in der Nacht vom 8. zum 9. Mai in Berlin-Karlshorst eine zweite Urkunde.

2021* non IaM Insana fVrIa beLLI DestrVat natIones, popVLos, VItas, CIVItates! sIt nobIs totIs paX et IVstItIa In Vrbe atqVe In CVnCto orbe! – Niemals mehr soll eine unsinnige Kriegswut Nationen, Völker, Leben und Städte zerstören! Friede und Gerechtigkeit herrsche für uns alle in der Stadt und der ganzen Welt!

Zum 9. Mai, dem **sechsten Ostersonntag**:

2021* DeVs est DIVInVs aMor sIne fIne aeternItatIs . – Gott ist die göttliche Liebe ohne Ende der Ewigkeit. – 1 Joh 4,9

Zum 9. Mai, dem **Muttertag**:

2021* aVete, Matres aMatae, In pIetate patIentes, sapIentes, VIVatIs! – Gruß euch, ihr gütigen, geduldigen, weisen Mütter, lebt hoch!

2021* VIVatIs, qVaeso, Matres a totIs nobIs sIne fIne aMatae! – Lobt hoch, so bitte ich, ihr Mütter, von uns allen unendlich geliebt!

CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM

Mitternächtliche Grüße. HD

Zum 9. Mai 2021

SOPHIE SCHOLL

CLARA LIBERTATIS MARTYR

INNOCENS FORTIS

HODIE QVINQVAGINTA BIENNIIIS ANTE NATA

Sophie Scholl, hell leuchtende Blutzugin der Freiheit, selbstlos und tapfer, wurde heute vor 100 Jahren geboren.

CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA

Petrus Canisius

auch Kanisius, Kanijs oder Kanîs
bzw. Peter de Hondt

* 8. Mai 1521 in Nimwegen, Herzogtum Geldern als Pieter Kanijs
† 21. Dezember 1597 in Freiburg im Üechtland, Schweiz

Q**V**INGENT**I**S ANN**I**S ANTE

DIE O**C**TAVO **M**AI**I**

IN BATA**V**IA NAT**V**S

P**I**ETER KAN**I**J**S**

POSTEA FA**C**T**V**S

PETR**V**S CAN**I**S**I**V**S**

SO **C**IETAT**I**S **I**ES**V** THEO**L**OG**V**S STREN**V**V**S**

* * *

Q**V**INGENT**I**S ANN**I**S ANTE

VIII ID**V**S MA**I**AS NAT**V**S

P**I**ETER KAN**I**J**S**

POSTEA FA**C**T**V**S

SAN**C**T**V**S PETR**V**S CAN**I**S**I**V**S**

BON**V**S THEO**L**OG**V**S SO **C**IETAT**I**S **I**ES**V**

M M X X I

Am 8. Mai vor fünfhundert Jahren wurde in den Niederlanden Pieter Kanijs geboren. Später wurde aus ihm Petrus Canisius, ein tüchtiger Theologe und Jesuit. Am 8. Mai vor fünfhundert Jahren wurde Pieter Kanijs geboren. Später wurde aus ihm der Hl. Petrus Canisius, ein großer Theologe der Jesuiten.

Sophie Scholl

* 9. Mai 1921 in Forchtenberg
† 22. Februar 1943 in München



BIS QVINQVAGINTA ANNIS ANTE

VII IDVS MAIAS NATA

SOPHIA SCHOLL

POSTEA EVASIT

SOCIA ROSAE ALBAE

FORTIS PVGNATRIX RESISTENS

CONTRA TVRPES NAZISTAS TAETROS

PVGNAVIT

*** * ***

BIS QVINQVAGINTA ANNIS ANTE

DIE NONO MAII NATA

SOPHIA SCHOLL

POSTEA FACTA

SOCIA ROSAE ALBAE NOBILIS

MMXXI

Am 9. Mai vor hundert Jahren wurde Sophie Scholl geboren. Später wurde sie Mitglied der „Weißen Rose“. Als mutige Widerstandskämpferin hat sie gegen die grässlichen, abscheulichen Nazis gekämpft. Am 9. Mai vor hundert Jahren wurde Sophie Scholl geboren. Später wurde sie ein berühmtes Mitglied der „Weißen Rose“.

FABELLA GRIMMIANA

108.

Iohannes meus erinaceus.



Olim fuit agricola dives, qui unâ cum uxore suâ nullos habuit infantes; saepius cum in oppidum ibat aliis agricolis comitantibus, iidem irridentes rogabant, curnam nullos haberet infantes. Tum aliquando irâ incensus domum reversus: »Volo« inquit »habere infantem, etiamsi erit erinaceus.« Deinde uxor eius infantem peperit, qui corpore superiore fuit erinaceus, inferiore puer, et eodem conspecto mulier territa marito dixit: »Viden te nos devovisse?« Tum vir: »Qualiscumque est, puer oportet baptizetur, sed non inveniemus compatrem.« His auditis uxor: »Aliud nomen ei non imponere possumus nisi *Iohannem Meum Erinaceum*«. Cum puer baptizatus esset, parochus dixit: »Is quidem propter aculeos suos non potest collocari in lecto solito.« Tum post fornacem paululum stramenti est depositum, in quo collocaverunt Iohannem Meum Erinaceum. Nec

îdem potuit lac matris bibere, nam lactans illam pupugisset aculeis suis. Itaque Iohannes post fornacem iacuit per octo annos, et pater, quem filiis pertaedit, cogitavit: ‘Utinam iste pereat!’, sed Iohannes non periit, sed remansit ibidem iacens. Nunc in oppido factae sunt nundinae, et agricola illuc profecturus ex uxore quaesivit, quidnam illa optaret, ut secum afferret. Tum illa: »Aliquantum carnis, et nonnullos paniculos, qui conferunt ad cenam parandam«. Deinde quaesivit ex ancillâ; quae voluit nonnullos calceos domesticos et tibialia; denique vir dixit: »Iohannes Mi Erinacee, quidnam vis accipere?« Hôc audito Iohannes: »Mi Atta« inquit, »affer mihi fistulam utriculariam«. Agricola autem reversus uxori dedit, quae secum ei attulerat, carnem et paniculos, deinde ancillae dedit calceos domesticos et tibialia, denique iit post fornacem Iohannique Meo Erinaceo dedit fistulam utriculariam. Hac fistulâ autem acceptâ Iohannes meus erinaceus: »Mi Atta« inquit, »eas, quaeso, ad fabrum ferrarium et cures calceandum gallum meum cucurritorem¹. Deinde gallo ascenso abequitabo neque umquam reveniam«. Tum pater gaudens, quod ab onere liberaretur, curavit gallum calceandum, et deinde Iohannes Meus Erinaceus in gallo consedit et porcos asinosque secum abducens, quos voluit foris in silvâ pascere.



¹**gallus *cucurrîtor** i.q. orig. *Göckelhahn*. *Cucurrîo, cucurrîre* est verbum temporale **onomatopoeticum**, quo denominatur vox galli, invenitur apud Suetonium grammaticum: cfr <http://www.zeno.org/Georges-1913/A/cucurrio>: "**cūcurrio**, ire, *kollern*, vom Haushahne, Suet. fr. 161. p. 251, 4 R. Anthol. Lat. 762, 25 (233, 25).“ Etiam nomen originale «Göckel» sive «Gockel» est onomatopoeticum: <https://de.wiktionary.org/wiki/Gockel>: "**lautmalerische (onomatopoetische)** Bezeichnung des „**Haushahnes**“: frühneuhochdeutsch *guckel, gugel, gogkel, süddeutsch göckel, göcke, göcker, mitteldeutsch gickel*, verstärkend im 15. Jahrhundert: *gockelhahn, göckelhahn* und im 17. Jahrhundert: *Gickelhahn*.“



Sed in silvâ Iohannes Meus Erinaceus ursit gallum, ut secum volaret in arborem altam: ibidem sedens custodiebat asinos et porcos et per annos longos sedebat, usque dum grex esset adultus, neque pater aliquid scivit de filio suo. Cum autem in arbore sedebat, inflabat fistulam suam utriculariam, ut fierent modi musici, qui essent valdê pulchri.



Aliquando praetervectus est rex, qui itinere deerraverat, et audivit modos musicos; tum is miratus ministrum suum emisit, ut inveniret,

unde venirent modi musici. Qui circumspexit, sed neminem vidit nisi parvam bestiam supra in arbore sedentem, quae fuit talis qualis est gallus cucurritor, cui insidebat erinaceus, et qui modos effecit musicos. Tum rex dixit, ut minister quaereret, cur ille ibi sederet et nonne sciret, ubi esset via, quae ferret in regnum suum.



Deinde Iohannes Meus Erinaceus ex arbore descendit et dixit se viam monstraturum esse, si rex scribendo promisisset se possessurum esse id, in quod rex domum veniens in aulâ regali primum incisurus esset. Tum rex cogitavit se hoc posse liquido facere, Iohannem Meum Erinaceum enim scripta non intellegere, itaque se posse scribere quidcumque vellet. Sic cum cogitasset, rex pennâ atque atramento sumptis aliquid scripsit et hōc facto Iohannes Meus Erinaceus ei viam monstravit, ut rex feliciter domum veniret. Eius filia autem, patrem e longinquo conspiciens gaudio completa ei occurrit et dedit osculum. Tum rex de Iohanne Meo Erinaceo cogitans filiae narravit, quid sibi accidisset et mirâ quadam bestiâ iubente sibi fuisse scripto promittendum id, in quod domum veniens primum incisurus esset, illamque bestiam gallo insedissee tamquam equo pulchrosque modos musicos edidisse; at se scripsisse illi bestiae nihil fore dandum, nam Iohannem Meum Erinaceum nescire, quomodo legeretur. De hac re principissa gavisata est dicens hoc esse bonum, nam numquam futurum fuisse, ut ipsa illuc iret.



Iohannes autem Meus Erinaceus pascebat asinos atque porcos, semper hilaris, arbori insidebat et fistulâ utriculariâ canebat. Nunc factum est, ut alter rex adveheretur unâ cum ministris atque cursoribus, itinere deerraverat, nec scivit, quomodo domum reveniret, quia silva erat permagna. Tum etiam rex e longinquo audivit pulchros illos modos musicos et ex cursore quaesivit, quidnam hoc esset, ut videret, unde hoc venisset. Tum cursor iit sub arborem, in quâ vidit gallum cucurritorem sedentem, eidemque Iohannem Meum Erinaceum insidentem. Cursor autem ex illo quaesivit, quidnam ibi supra vellet. »Pasco asinos meos porcosque; quidnam tu vis?« - Cursor dixit se itinere deerrasse nec scire, qua viâ in regnum redirent, nonne ille sciret viam monstrare? – Tum Iohannes Meus Erinaceus unâ cum gallo ex arbore descendit et dixit rêgi veteri, se velle illi viam monstrare, si ille id sibi dare vellet proprium, in quod domum reveniens ante castellum suum regale primum incisurus esset. Rex autem hoc affirmavit, scribendo promisit Iohanni Meo Erinaceo, ut illud haberet. Hôc facto Iohannes Meus Erinaceus gallo cucurritore provectus est viam ostendens, ut rex feliciter reveniret in regnum suum. Cum in aulam


rediret, magna laetitia est exorta. Unica filia, quam habuit, pulcherrima rēgi occurrit, patrem amplexa osculata gaudio perfusa, quod pater reverterat. Quaesivit quoque, ubinam gentium pater versatus esset per tantum spatium temporis. Tum rex filiae narravit se itinere deerrasse, nec multum defuisse, quin reversurus esset, sed magnam silvam pervehens aliquem semierinaceum eundemque semihominem gallo tamquam equo insidentem in altâ arbore sedenti, pulchros modos musicos edidisse; eum sibi adfuisse sibique ostendisse viam, se autem illi, ut mercedem haberet, promisisse, quidcumque, in quod domum veniens in aulâ regali primum incisurus esset, et hoc esse eam ipsam filiam, et se nunc illud vehementer dolere. Sed tum filia patri promisit secum illo libenter abituram esse, si ille veniret, veteris patris gratiâ.

Iohannes autem Meus Erinaceus pascebat porcos porcasque suas, quae genuerunt porcas porcosque, qui etiam genuerunt, ut tota silva porcis abundaret. Tum Iohannes Meus Erinaceus iussit patri suo dicere, ut parentes evacuarent omnia stabula totius vici et pararent, nam se venturum esse cum tanto grege porcorum, ut omnis vicanus tot porcos mactaret, quot posset. Tum pater erat contristatus haec audiens, nam cogitavit Iohannem Meum Erinaceum iam pridem esse mortuum. Iohannes autem Meus Erinaceus insedit gallo suo cucurritori, porcos egit ante se in vicum et curavit eosdem mactandos; hui! quanta erat iugulatio atque mactatio, quae audita est per spatium itineris duarum horarum. Deinde Iohannes Meus Erinaceus: »Mi Atta«, inquit, »Cura, quaeso, iterum gallum cucurritorem calceandum ante officinam fabri ferrarii; deinde abequitabo, neque umquam revertar in vita mea.« Tum pater eius calceandum curavit gallum cucurritorem, et gavisus est, quod Iohannes Meus Erinaceus noluit revenire.

Iohannes autem Meus Erinaceus abequitavit in primum regnum, ubi rex imperaverat, si quis adveniret gallo vectus et secum habens fistulam utriculariam, ut omnes in eum sclopetarent et caederent et pungerent, ne veniret in castellum. Nunc cum Iohannes Meus Erinaceus equitans adveniret, milites cultris sclopetariis in eum invecti sunt, is autem gallo calcaribus subditis volavit trans portam ante fenestram regis, ibidem consedit eidemque acclamavit, ut sibi daret id quod promississet, alioquin se eum eiusque filiam vitâ esse privaturum.

Tum rex filiae blandis verbis studuit persuadere, ut foras ad illum iret, ut sui et ipsius vitam servaret. Tum filia albas vestes induit, et pater filiae dedit currum cum sex equis et ministris magnificis, pecuniam, bonaque. Filia currui insedit, et Iohannes Meus Erinaceus iuxta illam consedit, tum aliis valedixerunt et profecti sunt. Rex autem cogitavit se filiam non iam revisurum esse. At aliter factum est quam cogitatum, nam aliquanto itineris ab urbe remoti cum essent, Iohannes Meus Erinaceus filiae rēgis exuit vestimenta pulchra, cute suâ erinaceâ illam pungebat, usque dum esset sanguine prorsus óblita, et dixit: »Hanc tibi dedi mercedem fallaciae vestrae, abi, te nolo« eamque fugavit domum, ut infamis remaneret in vitam suam reliquam.

Iohannes autem Meus Erinaceus perrexit iter facere gallo suo cucurritori insidens fistulâ suâ utriculariâ instructus, ad alterum regnum, ubi etiam rēgi viam ostenderat. Is autem praescripserat, si quis veniret talis qualis Iohannes Meus Erinaceus, eum ut salutarent sclopeta ostentantes, eum ut introducerent et «Vivat!» vocantes eum ut ducerent in castellum regale. Eundem cum aspiceret, filia rēgis territa est aspectu tam miro et alieno. At eadem cogitavit sibi nihil aliud restare, nam se pollicitam esse hoc patri suo.



Tum Iohannes Meus Erinaceus ab eâ salutatus est et rogatus, ut iret ad mensam regiam, et principissa consedit iuxta eum, et ambo comederunt et biberunt. Cum autem advesperasceret et ambo cubitum essent ituri, tum principissa valdē timuit Iohannis Mei Erinacei aculeos. Is autem dixit, ne illa timeret, nullum detrimentum illam

capturam esse, et dixit rēgi veteri, ut iuberet quattuor viros venire, qui vigilarent ante cubiculi ianuam et magnum ignem accenderent, et quando in conclave ingressus in lecto se collocaturus, se ex cute suâ erinaceâ erēpturum eamque ante lectum relicturum esse; deinde ut viri alacriter assilirent cutemque inicerent igni, ibidemque ut manerent, usque sum cutis igne consumeretur tota. Hora autem undecima cum campanae sonitu indicaretur, Iohannes iniit conclave, cutem erinaceam destrinxit eamque reliquit in pavimento positam; tum viri venerunt cutemque celeriter captam igni iniecerunt, et cute igne consumptâ Iohannes est redemptus et in lecto iacuit corpore prorsus humano instructus, sed tam nigro, ut videretur esse ambustus. Tum rex eum misit ad medicum, qui Iohannem Meum Erinaceum lavit bonis unguentis balsamoque oblevit. Tum factus est albus, et fuit pulcher Dominus iuvenis.

Filia autem rēgis cum hoc videret, gavisâ est et laetâ unâ currum ascenderunt, comederunt, biberunt, et nuptiae sunt celebratae, et Iohannes Meus Erinaceus a vetere rēge accepit regnum.

Nonnullis annis transactis îdem cum uxore vectus est ad patrem suum, et dixit se esse filium eius; pater autem dixit se nullum habere filium, habuisse quidem unum solum, qui erinaceo similem natum fuisse aculeatum et abiisse in terras longinquas. Tum Iohannes Meus Erinaceus se ipsum esse filium ostendit et pater vetus gavisus est et cum eo iit in regnum.

Fabella mea nunc finita exit ad domum Augustulae.

FABELLAM GRIMMIANAM
QUAE INSCRIBITUR
Iohannes meus erinaceus
(»Hans mein Igel«)
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS

MYTHI GRAECORUM

THESEUS ATQUE PIRITHOUS

Quomodo Lapithae pugnaverint cum Centauris



THESEUS HEROS

Theseus ferebatur esse robore et fortitudine extraordinariâ. Pirithous, unus ex antiquitatis heroibus illustrissimis, filius Ixionis, cupivit illum ad obrussam exigere, et boves, qui ab illo possidebantur, exegit e campo Marathonio; cum Pirithous audiret Theseum armis captis se persequi, optatum suum assecutus non aufûgit, sed conversus est, ut illum exspectaret. Cum tanto se appropinquavissent, ut inter se accuratius aspectarent, unus tantâ admiratione alterius affectus est, ut - tamquam signo dato - arma humum deicerent et unus ad alterum properaret. Pirithous dextrâ porrectâ Theseum adhortatus est, ut ipse arbiter diiudicaret de boum raptu; quamcumque satisfactionem Theseus constituisset, ei se ipsum subiecturum esse. Tum Theseus oculis lucidis: »Nullam« inquit »postulo satisfactionem nisi eam, ut ex adversario nocivo fias commilito necnon amicus!“ - Nunc heroes

unus alterum amplexi mutuo coniuraverunt se servaturos esse amicitiam fidelissimam.

Postea cum Pirithous in matrimonium duceret Hippodamiam Thessaliae principis filiam e genere Lapitharum natam, etiam Theseum commilitonem invitavit ad nuptias celebrandas. Lapithae, inter quos sollemniter celebrata est, gens erant Thessaliae famosa, homines montani rudes, formâ magis ferinâ quam humanâ, primi mortalium, qui didicerunt equos domare. At sponsa, quae erat ex hōc genere nata, nullo modo istis viris erat similis. Nam eadem fuit staturâ bellissimâ, virginali, facie tenerrimâ tamque pulchrâ, ut omnes convivae Pirithoum praedicarent filiae causâ felicissimum. In celebritate apparuerant omnes Thessaliae principes; sed etiam Pirithoi affines, centauri, advenerunt, semihomines¹, qui exorti erant e monstro illo, quod nubes pepererat, quam Ixion pater Perithoi pro Iunone complexus erat; itaque omnes Centauri appellantur etiam filii nubis. Qui hostes erant Lapitharum sempiterni. At nunc cum sponsi essent consanguinei, cantauri odium vetus oblîti ad laetam celebritatem sunt allecti. Castrum Pirithoi aulicum sollemne laeto tumultu perstrepuerat; cantica nuptialia cantabantur, ardore vino cibisque conclavia fragrant. Palatium non omnes convivas ceperat, Lapithae et Centauri variis ordinibus inter se permixti, ad mensas sedebant ordinatas, in speluncis, quae obumbrabantur arboribus.

Diu omnes celebraverunt hilariter et pacificê. Tum autem Eurytion, Centaurorum ferissimus, vini plenus coepit furere; ubi Hippodamiam virginem pulchram aspexit, insanâ cupidine correptus rapere voluit sponso sponsam. Nemo scivit, quomodo istud factum esset, nemo viderat, quomodo incoharetur facinus istud insanum, sed subito convivae conspexerunt Eurytionem furentem, qui Hippodamiam refragantem et auxilium clamantem capillis correptam per pavementum violenter protrahebat. Isto facinore immani Centaurorum caterva vinosa excitata est, ut auderet similia; priusquam heroes extranei et Lapithae e sedibus surrexerant, omnis Caentaurus iam unam e puellis Thessalicis, quae ministrabant in aulâ rēgis aut convivae in nuptiis aderant, manibus rudibus¹ tamquam praedam tenuit correptam. Castrum aulicum et horti similes erant urbi

¹ sēmihomō, -inis m. cfr OV.met.12,536 Centauri semihomines

¹ **manūs rudēs**: cfr SEN.Medea 908sq. ...quid manus poterant rudes/ audere magnum?

expugnatae. Clamores mulierum per latas aedes personabant. Tum celeriter sponsae amici et consanguinei e sedibus prosiluerunt.



Deinde Theseus vocavit: »Quonam modo obcaecatus es, Eurytion, ut Pirithoum irritares me vivente, ut simul duos heroes irritares?« His dictis Theseus in Centauros impetum facientes invectus raptori saevienti raptam eripuit. Nunc Eurytion nil dixit, nam facinus defendere nescivit, sed manu contra Theseum sublatâ eiusque pectus pugno impulit. At Theseus, cum nullum telum haberet prae manibus, corripuit urceum aeneum opere ectypo ornatum, qui forte stabat iuxta se; quem in faciem adversarii iaculatus est, ut ille recideret in harenam illiusque cerebrum sanguisque simul e vulnere capitis prorumperetur. »Ad arma!« nunc ad mensas Centaurorum conclamatum est ubique; primo volaverunt pocula, lagoenae, alvei, deinde monstrum quoddam sacrilegum anathemata eripuit sacris locis propinquis; alter deripuit lampadem, quae super cenam candelarum plenam pendebat, tertius pugnavit cornibus cervi correptis, quae parietibus speluncae affixa pendebant et ornamentum et anathema.




Atrociter trucidati sunt Lapithae: Rhoetos, Centaurorum post Eurytionem improbissimus, taedam ex arâ raptam tamquam gladium vulneri impegit hianti, ut sanguis sibilaret quasi esset ferrum candidum in fabricâ fabri ferrarii. At Rhoetum invectus est Dryas Lapitha fortissimus eiusque dorsum inter cervicem umerumque perfodit palo, quem igne candefecerat. Hôc Centauro delapso desierunt eius socii furentes trucidare, et Dryas nunc furens ultus est mortem suorum eo quod quinque unum post alium prostravit Centauros. Nunc etiam volavit hasta Pirithoi herois, quâ perfossus est ingens Centaurus Petraeus nomine, modo stipitem quercûs ex humo extracturus, ut eodem pugnaret; vix stipitem manibus circumplexus est, hastâ eius pectus anhelans affixum est quercino ligno vaceroso.

Alter Centaurus, Dictys, Graeci herois ictibus decidit et cadendo deflexit fraxinum ingentem. Tertius autem Centaurus hunc ulturus a Theseo palo quercino est conculcatus.

Omnium Centaurorum pulcherrimus et aetate minimus fuit Cyllarus; eius vultus comis et affabilis, cervix, umeri, manûs, pectus tamquam ab artifice formata, necnon pars eius inferior, abdomen equinum,

expers erat vitii, dorsum ad sedendum aptissimum, pectus altê convexum, coloris nigerrimi, pedibus caudâque tantum coloris lucidi. Cyllarus unâ cum Hylonomâ centaurâ amasiâ suâ celebritatem adierat; quae inter cenam amore tenerrimo ad illum nixa, nunc quoque cum Cyllaro coniuncta pugnabat particeps pugnae saevissimae.



**ECCE CYLLARUS ET
HYLONOME**

At Cyllari cor sagittâ ignotâ perfossum est, ut îdem mortiferê vulneratus brachiis amatae suae illaberetur. Hylonome autem membra eius coluit moribunda, et osculata est et frustra conata est spiritum amati fugacem retinere. Cum videret Cyllarum animam efflare, sagittam ex eius corde extractam sibi impegit.



Diu pugna inter Lapithas et Centauros perrexit saevire, usque dum postremi prorsus devicti mortem non evitarent nisi fugientes. Nunc Pirithous sponsam retinuit salvam, et Theseus postridie mâne amico valedixit. Hac pugna communi vinculum fraternitatis nuper demum connexum celeriter sic constrictum erat, ut fieret nodus insolubilis.

**MYTHUM PROELII LAPITHARUM ET CENTAURORUM
THEODISCE ENARRAVIT GUSTAVUS SCHWAB
LATINE CONVERTIT LEO LATINUS**

EPISTULAE

Victorius Nicolao suo salutem.

Me admodum perturbavit, care Nicolae, sententia haec: «6. Maria Antoniola filia regis cum esset muliercula vitae subditorum prorsus imperita, civibus panem postulantibus dicitur stupefacta quaesivisse: „Si illi carent pane, quidni comedunt placentam?“ (quae in pagina 25 legitur Epistulae Leoninae numero 238 signatae). Quamvis enim in rerum gestarum historia haud facile sit inconcussas veritates invenire, tamen vera investigare ac perquirere semper est historici pium officium, si quis ad historiae fidem accedere velit. Igitur ab Maria Antoniola (procul dubio «vitae subditorum prorsus imperita») eam sententiam numquam pronuntiatam esse iam pridem constat. Quare agitur de mendacio, quo ad eam reginam infamandam usi sunt eius adversarii. Hanc veram totius rei historiam explanavit Antonia Fraser, historica Britanna, in libro "De Maria Antoniola eiusque solitudine", qui etiam Theodisce ni fallor editus est. Ex Italica huiusce libri versione (apud Mondadori, 2003, pp. 154-155) rescribo sententias hasce: «Illa funesta sententia nota erat iam saeculo XVII, cum primum adtributa fuerit Mariae Theresiae, uxori Aloisii XIV. Eandem sententiam anno 1737 audiverat Janus Iacobus Rousseae [...] Quod praeterea Maria Antoniola numquam ea verba dixisse (Italice: "Ma la prova più convincente dell'innocenza di Maria Antonietta") demonstrant commentarii scripti (a. 1823) a comite Provinciae, qui Aloisii XVI frater erat. Qui, etsi fratris uxorem in deliciis non habebat, eam sententiam minime Mariae Antoniolae tribuendam esse adfirmat». Pro dolor in historia interdum accidit id, quod in rebus monetariis, nempe- ut scripserat Thomas Gresham- nummi viles optimos expellunt. Haec, pro veritate historica, iustum scribere duxi, ne eo quoque subdolo mendacio obruatur memoria illius regina, quae- ut quodam in nomismate legitur- "cecidit ut flos". Pancratice valeas, mi Nicolae.

Am 05.05.2021 um 23:14 schrieb sixtus@t-online.de:

Fridericus Sixtus Audax Leoni Latino s.p.d.

Sessio academica hersterna Latina mihi maximo gaudio fuit. Ut promisi tibi aditum interretinalem ad translationem meam dissertationis historicae Arnoldi Henrici de Treskow in domo

nomine ResearchGate publicatam mitto (DOI: [10.13140/RG.2.2.36009.72801](https://doi.org/10.13140/RG.2.2.36009.72801)). Exspecto te convenire interretinaliter proxima septimana.

CAROLUS LITUANUS

P. S. In illā sede invenies mirissima quaedam : <http://web.archive.org/web/20171121173256/http://latinista.tk/La/pli-cae.htm> . Quare hoc Latine redditum? „ Latina.ini – Plica linguae ad programma mittendi SMS - SMS-Volga 3.0“ :D ceturtd., 2021. g. 6. maijs, plkst. 00:27 — lietotājs Karolis Lyvenas (<karolisl@gmail.com>) rakstīja:

Carolus Nicolao suo s.p.d.

Gaudeo nos resumpsisse commercium nostrum, re vera est iucundissimum et dignum ut perpetuum reddatur. Sane perplacet haec disputatio nostra lexicographica, semper nova disco. Sicut intellego ex quibusdam veteribus fasciculis Vocis Latinae, Tu quaestionibus lexicographicis insudas nonne iam per innumeros annos? Quomodo omnino in hanc provinciam venisti? Nonne peritissimus es scholae Latinitatis Vivae Saravipontanae? De his et multis aliis rebus colloquium quoddam instituere possimus, responsa tua utilissima ad thesin meam doctoralem scribendam erunt.

Ipse quasi studeo puritati sermonis, quasi non studeo, in medio haereo. Interdum placet me implicare circumlocutionibus, interdum illa omnia abscindere malo et directe cogitata mea proferre. Sed nunc de causis cur hac in re puritatem defendere mihi visum sit. Meā quidem sententiā, interdum prodest servare quandam speciem puritatis atque Latinissimae Latinitatis ne nos viam quandam facillimam elegisse videamur. Res ipsa per se melior fortasse non est, sed Latinis, qui talibus delectari solent, magis placet.

„Pulsabulum“ igitur est res ficta, sed illa est magis perspicua, recte venit ex radicibus Latinis classicis, „boto“ autem auditus statim coniungitur cum vocabulo Anglico. Fortasse erro, nescio. Sed suspicor multos similiter sentire re auditā. Vocabulum minime vehementissime impugno.

Placet id, quod dicis de Latinitate mediaevali. Semper est modus in Latinitate disponendā quidam servandus ne medium aevum omnino non fuisse videatur.

Boto sane potest vox utilis exsistere. Sine illa fibulae illae rotundae vestium nonnisi „orbiculi“ vel „globuli“ nominandae essent, quamquam haud displicent haec nomina. Lexicon Morganianum etiam „malleolum“ et „bullam“ proponit ad rem tactilem. Obscurissimum (!!!) vocabularium rerum computralium Russico-Latinum

<http://web.archive.org/web/20180220092109/http://latinista.tk/vocabularium.htm> Tibi favet et botonem computatralem mavult, <http://obta.uw.edu.pl/~draco/docs/voccomp.html> ipsam rem prorsus neglegit.

Iam intellego rationem tuam quā duxisti necessarium esse etiam aliud quoddam vocabulum praeter „athleticam“. Ego quidem talia ut piscatio genus otii dicam, sed sane notio illa non satis bene exprimit rem. Sunt quaedam notiones quae Latine vix exprimi possunt, ut „interessant“ / „interesting“ / „īdomus“ (de qua re olim scripsi in <https://latin.stackexchange.com/a/338/223>).

Fac quam optime valeas!

NULLA DIES SINE LINEA !

**EPISTULAS
COLLEGIT**



LEO LATINUS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	0050 6A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM UNDEQUADRAGESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Feria quintâ
Ascensione Domini
13. m.Maii a.2021**



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae